

/ Admodum Reverende Pater. Accepi librum a Reverentia tua mis-  
sum, tanquam epistolam realem, et post aliquot dies advenerunt e-  
tiam litterae verbales. Pro utrisque gratias ago: sed magis pro  
labore maximo in tam ingenti volumine conscribendo. Agnosco tae-  
5 dium summum Reverentiae tuae fuisse devorandum, in haereticorum  
ineptiis refutandis: nam et ego in nugis Kemnicianis refellendis  
aliquando usque ad impatientiam fatigabar. Sed quo longius Reve-  
rentia tua in hoc itinere progredietur, eo viam brevior, et faci-  
liorem inveniet. Nam in controversiis de verbo Dei, ut accepi,  
10 plurimi laboraverunt; in controversiis de ecclesia, et summo ponti-  
fice, pauci; in reliquis ferè nulli. Sed quamvis in tenui labor  
Reverentiae tuae esse videatur, non tamen erit tenuis merces apud  
Deum, sive ecclesiae utilitatem, sive meritum obedientiae conside-  
remus. Videor mihi audivisse cum patribus, qui ad generalem conven-  
15 tum nostri ordinis expectantur, te quoque esse venturum: quod si  
fiat, gratissimus erit adventus; et interim curabo numerum aliquem  
Agnorum Dei, vix enim ulli mihi restant ex ea summa, quae mihi an-  
te biennium data est à Pontifice. Quod si fortè Rev. tua non vene-  
rit, per eos qui venerint, mittam, nisi antea opportunitatem mit-  
20 tendi nactus fuero. His precor Reverentiae tuae à Deo caelestium  
donorum copiam, quantam ipse optas; mènque vicissim precibus Reve-  
rentiae tuae apud Deum ex animo commendo. Romae die 19 octobris  
1607.